



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Deum suos pascere, Scripturæ exemplis docetur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

confundentur in tempore malo , & in diebus malis saturabuntur , quia peccatores peribunt. Non enim in Domino , sed in Mundo spem suam ponunt; qui autem de Dei prouidentia & bonitate sentiunt, quod oportet , haudquaquam ambigunt , vitam sustentationem. que suam multò magis curari à Deo, quam à scipis.

III.

S. August. de
orat. Domi-
nic.
Prou. 10.
Psal. 36.
Luc. 12.

4. Reg. 4.38.

Ioan. 6.11.

4 Reg 4.42.
Luc. 22.35.

Quod sanè SS. PP. luculentè docuerunt. Non potest, inquit S. Augustinus, quotidianus cibus deesse iusto , cum scriptum sit: Non occidit Dominus fame animam iusti. Et iterum: Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum , nec semen eius querens pa- nem: Et iterum: quarentibus regnum Dei , & iustitiam eius omnia promittit apponi , & cum sint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, si DEVS ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu , iussu regis , in-cluso , prandium diuinitus procuratur , & inter feras esurientes homo Deipascitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis ministrantibus & volucri- bus cibum apportantibus in persecuzione nutritur. Elisaeus quoque, tempore famis, nonne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantum, sed & panes. Vir autem quidam venit de Baal- salifa deferens viro Dei panes primitiarum , viginti panes hordeaceos, frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo , ut comedat. Responditq; ei minister eius : Quantum est hoc ; ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo , ut comedat: hac enim dicit Domi-nus: Comedent, & supererit. Posuit itaq; coram eis ; qui comedenterunt, & superfuit , iuxta verbum Domini. Imago hæc & adumbratio fuit Christi, ad eundem modum, quinque panibus hordeaceis quinq; virorum millia, in deserto, pasturi; & pasturi ita, ut duodecim cophini superessent , & tantò plus restaret, quantò plus ademil-set. Elisæo in pera allatum est frumentum ; Christus discipulos suos , sine sacculo & pera misit, & nihil illis defuit. Quare etiam de imitatore Christi & Apostolorum ait D. Ambrosius : Fide in-tus putet sibi, quò minus ea requirat, eò magis panem suppeteret. Cu-rat enim Deus magis , qui Deum curant magis ; & pullatis vesti-bus album panem pinsit, vt in prouerbio est. Quanquam enim Dei seruis carnis curam non habentibus, sed ieunio atque absti-nentiae deditis facilius satisfiat ; cum pomo, nucibus palmarum, pistaceis &c satiantur , aut cum ex iure hesterno panem atrum-edunt: tamen diuina manus, cum nec ista suppetur, mirificè eis succurrit. Proderit, benignum hunc Dei morem in exemplis do-cere.

Agmen